UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

12. De pœna Nabuchodonosoris regis, qui abstulit vasa domus Dei, & funesto casu Balthasaris regis, qui sacris vasis cum vxoribus & concubinis suis temulentus abutebatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52445

Visual Library

runt: Non eſt tui officij Ozia, vt adoleas incenſum domino: ſed ſacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſcemodi miniſterium. Egredere de ſanctuario, ne contempſeris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à domino Deo. Iratuſque Ozias, & tenens in manu thuribulum vt adoleret incenſum, minabatur ſacerdotibus. Statimque orta eſt lepra in fronte eius coram ſacerdotibus in domo domini, ſuper altare thymiamatis. Cũque reſpexiſſet eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui ſacerdotes, viderunt lepram in frõte eius, & feſtinato extulerunt eum. Sed & ipſe perterritus accelerauit egredi, eo quod ilico ſenſiſſet plagam domini. Fuit igitur Ozias rex leproſus vſque ad diem mortis ſuæ, & habitauit in domo ſeparata plenus lepra, ob quã eiectus fuerat de domo domini.

Danielis 1.4. & 5. cap. De pœna Nabuchodonoſoris regis, qui abſtulit vaſa domus Dei, et funeſto caſu Balthaſaris regis, qui ſacris vaſis cum vxoribus & concubinis ſuis temulentus abutebatur.

CAP. XII.

REX Babylonis Nabuchodonoſor cùm expugnaſſet Hieruſalem, abſtulit partẽ vaſorum domus Dei, & aſportauit ea in domum Dei ſui, qui poſteà ex hominibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum eſt, donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& vngues eius quaſi auiũ. Qui poſtea ſibi regnoq; ſuo reſtitutus, agnouit potẽtiam & iuſtitiam Dei, qui gradientes in ſuperbia, poſsit humiliare. Porrò pronepos eius Balthaſar, immemor huius vindictæ proaui ſui, cum grande conuiuium optimatibus ſuis apparaſſet, præcepit iam temulentus, vt afferrentur vaſa aurea & argentea, quæ abſportauerat Nabuchodonoſor: Non quidem genitor, ſed proauus eius, pater eius de templo quod fuit in Ieruſalem, vt biberent ex eis rex, & optimates ex vxores eius & concubinæ. In eadem autem hora, apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis, contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ. Et rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Et immutata eſt facies regis, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur. Sed & optimates eius conturbabantur. Tandem Daniel introductus coram rege, commemorauit illi ſuperbiam Nabuchodonoſoris patris ſui, & quomodo Deus eum humiliaſſet. Tu quoque, inquit, filius eius Balthaſar non humiliaſti cor tuum, cùm ſcires hæc omnia, ſed aduerſum dominatorem cœli eleuatus es. Et vaſa domus eius allata ſunt coram te, & tu & Optimates tui, & vxores tuæ, & concubinæ tuæ vinum bibiſtis in eis. Deos quoque argenteos, & aureos, & æreos, ferreos, ligneoſque, & lapideos, qui non vident neque audiunt, neq; ſentiunt,

tiunt,

iunt, laudaſti: Porrò Deum qui habet flatum tuum in manu ſua, & omnes vias tuas, non glorificaſti. Idcircò ab eo miſſus eſt articulus manus, quæ ſcripſit hoc quod exaratum eſt. Hæc eſt autem ſcriptura quæ digeſta eſt: Mane Thecel Phares, & hæc interpretatio ſermonis: Mane numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud. Thecel, appenſus es in ſtatera: & inuentus es minus habens. Phares diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis. Tunc iubente rege, indutus eſt Daniel purpura, & circundata eſt torques aurea collo eius, & prædicatum eſt de eo quod haberet poteſtatem tertius in regno. Eadem nocte interfectus eſt Balthaſar rex Chaldæus, & Darius Medus ſucceſsit in regnum annos natus ſexaginta duos.

Ex libr. 1. Machabæorum cap. 1. 2. & 6. Rex Antiochus ob prophanatum & ſpoliatum templum Hieroſolymitanum, varijs malis ac doloribus afflictus miſerrima morte interijt.

CAP. XIII.

ANtiochus poſtquàm percuſsit Aegyptum, aſcendit Hieroſolymam. Et intrauit in ſanctuarium cum ſuperbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuerſa vaſa eius, & menſam propoſitionis, & libatoria & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat, & cõminuit

In hoc capite videre eſt quãdã imaginem noſtrorũ infœlicium temporum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN